

Quando filiis Israel lex promulgabatur cum voce tonitruorum, fulgore lampadum et sonitu buccinæ in monte Sinai, perterriti ipsi voce angeli legem promulgantis, steterunt procul et dixerunt: *Loquera tu nobis et audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*; Ex. XX. Si legem Dei nobis promulgatam horrescimus audire, quomodo audiemus verbum illud asperum? Unde Job XXVI. dicitur: *Cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* Idcirco David timens verbum illud asperum, libenter audiit Dei præceptum: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo!* inquit.

Sententia promulgata, mox deseret angelus custos, et ss. tutelares animam proscriptam, et dicent illud Jerem. c. LI. *Curavimus Babylo-nem, et non est sanata; derelinquamus eam.* Et Deus eodem momento destituet eam protectione sua, omnique humore cujusque gratiæ privabit, ita ut in æternum nihil boni ab ea sperari amplius possit. Quemadmodum enim uno maledictionis verbo arefecit ficum et omni humore privavit, ut nullum amplius fructum faceret; ita faciet animæ reprobi: deinde tradet eam potestati dæmonum, qui instar leonum, tigridum, et ursorum, prius adhuc ligati et inhiantes prædæ, postea soluti ingenti fremitu et rabie invadent eam veluti lepusculum, ut vere tunc dicere queat id Ps. XXI. *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens.* Miserum quidem et triste est spectaculum, cum reus condemnatus traditur carnifici: sed solet etiam carnifex reo condolere, quem debet interficere, aut saltem non facit insultando et gestiendo, quicquid facit reo. Longe aliter constituti sunt dæmones, qui ut animam unam devorent, sicut vultures ad locum prælii, diu ante prælium congregantur, quia ut vultures ingluvie ita dæmones odio in hominum cædem feruntur. Ibi apparebit illud: *Ubi est corpus, illic congregantur et aquilæ*; sic in Apoc. XIX. convocantur omnes aves ad manducandas carnes damnatorum. Destituta hoc mundo et maledicta anima, sicut de ficu maledicta mox cadent omnis viror et folia, id est, dona supernaturalia, et virtutes morales, remanebitque anima nuda, fere ad eum modum, quo sacerdos facinorosus igni tradendus, prius ab episcopo degradatur, et spoliatur sacerdotalibus ornamentis, ne dignitati sacerdotali per infame supplicium injuria aliqua irrogetur; deinde raditur extremis digitis et capitis corona, postmodum repellitur ab episcopo et clericis, veluti indignus clero, et licitoribus rapiendus relinquitur. Ita fiet animæ peccatrici, ei ab episcopo animarum nostrarum Christo, I. Pet. II, qui nos in baptismo unxit et aliquo modo sacerdotes fecit, auferetur in primis illi corona

capitis, id est lumen fidei, spes coronæ gloriæ; secundo radetur digitis, et auferentur ei gratiæ gratis datæ (si quas habet) quibus velut Spiritus Sancti digitis mira patrabat, sanitates conferebat, spiritus discernebat, et dæmones eiciebat, etc. solus vero character ei relinquatur Baptismi, Confirmationis et sacerdotii (si his sacramentis initiata fuit) ad majorem ejus dolorem et confusionem, ut quæ tot gratiæ auxiliis præventa, *Cœpit ædificare et noluit consummare.* Luc. XIV. Denique spoliabitur vestibus virtutum moralium, quas habuit, prudentiæ, fortitudinis, temperantiæ, justitiæ, castitatis, etc.: scientiæ tantum ei remanebunt ad majorem ejus dolorem; et ita complebitur id Job XX. *Panis ejus in ulero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus: divitias quas devoravit, evomet; et de ventre illius extrahet eas Deus.* Forte ad eum modum, quo Udoni Magdenburgensi decantissimo episcopo impio legimus, ante ejus interemptionem, pugno excussam de visceribus sacram hostiam, quam eo die indignissimus sumpserat, apud Naucel. vol. II. Gen. XXXVII. Fulgos. Antonin. etc. O quale hoc spectaculum! Seneca, libro de brevitate vitæ, c. ult. scribit, Caium Cæsarem absolvisse aliquando senatorem nonagenarium ab officio et munere publico, quo sibi deinceps in tranquillitate viveret: quare ille adeo contristatus est, ut mortuum se putaret, componi se in lecto, et velut exanimem a circumstante familia plangi jusserit. Cogita nunc: quid erit spoliari bonis omnibus? Denique detrudetur a theatro seu loco judicii et a dæmonibus ad orcum rapietur; pensate, auditores, quam afflictum erit hoc iter, quam tristis terminus! Quid enim cogitabit anima de extremo consolationis et felicitatis mundanæ ad extremum miseriæ præcipitata? De molli et bysino lecto in operimentum vermis et ignis? De societate amicorum optimorum, ad societatem draconum, serpentum et bufonum? De hoc amœno et dulci solis lumine, ad obscurissimum et teterrimum orci carcerem? Ah! Quid sentiet et cogitabit, et cum primo aspectu domum illam funestam, societatem miseram, cruciatus innumeros, æternitatem interminabilem aspiciet et perpendet?

CONCIO III.

JUDICII UNIVERSALIS ET ULTIMI CONVENTUS.

I. Comparebit judex: 1º cum signo crucis. 2º. In corpore glorioso. 3º. Stipatus angelis. 4º. Cinctus nubibus. 5º. Sedebit. — II. Separabunt angeli judicandos. Hinc in hominibus: 1º. Stupor. 2º. Livor. 3º. Pudor. 4º. Dolor. 5º. Timor. — III. Congregabuntur judicandi ad judicem: 1º. Omnes. 2º. Impii nullo ordine. 3º. Adorabunt judicem. 4º. Monstrabunt acta sua. 5º. Singuli suo loco.

THEMA.

Tu es qui venturus es? Matth. XI.

Quæstionem hanc, auditores, quam e vinculis suis Joannes proposuit Christo, utinam et nos e vinculis carnis nostræ proponeremus Christo venturo judici nostro: *Tu es, qui venturus es?* Nam teste S. Ambrosio in offic. « Nihil est quod magis proficiat ad vitam honestam, quam ut credamus eum vicem futurum, quem et occulta non fallunt, et indecora offendunt, et honesta delectant. » Quæ enim alia causa est, cur tot homines honestatis et virtutum obliiti, tot gravia scelera perpetrent, nisi quia non credunt futurum judicem suum omnia nolare suo tempore judicanda, virtutem amare, vitia odisse et abominari? Si enim ista crederent, quomodo coram judice suo delinquere auderent? Quando igitur fides docet Christum judicem certissimo venturum, pergamus nunc, quod ante octiduum cœpimus, prosequi et spectare in præsens judicis adventum, eorumque, qui judicandi sunt, conventum.

I. Congregatis omnibus in vallem Josaphat (ita videlicet ut vallis illa mediterraneum sit loci judicarii, cæteroquid ad plura milliaria se diffundentis) incipiet in sublimi comparere judex sensim descendens cum summa potentia et gloria juxta id Matth. XXIV. *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa et majestate.* Idem insinuavit Dominus cum staret coram concilio Judæorum et Caipha, Matth. XXVI. cum dixit: *Verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus cæli.*

Primo. Veniet ergo præmisso et in cælis apparente signo crucis, Matth. XXIV. *Tunc parebit signum Filii hominis in cælo* per quod omnes fere Patres et DD. signum crucis intelligunt. Significabit autem hoc signum primo judicem per crucem comparasse sibi hanc gloriam et judicariam potestatem, adeoque judicare non alienos, sed suos subditos, quos per crucem sibi emit et de morte redemit: secundo ipsum pro salute omnium crucem sustinuisse, ac proinde esse inexcusabiles, qui tantam misericordiam neglexerunt. Hinc in primis, turbabuntur Judæi et Gentiles, qui Christo et sectatoribus ejus crucem improperarunt, eosque persecuti sunt; deinde reprobi Christiani, qui sub eo salutis signo militarunt, sua tamen nihilominus culpa perierunt, imo Christum suis peccatis suaque ingratitude in crucem adegerunt, verbi gratia: videbit Judas se sua prodicione Christum egisse in crucem; videbit quisvis impius, quot clavis et puncturis Christum in crucem fixerit; videbit quisque dementiam et ingratitude suam, qua tam immensum Christi amorem et

laborem pro se exantlatum contempsit et contulcavit: tertio omnes crucifixi cultores et amatores jam esse exaltandos et ad hoc laborem congregandos, omnes ejus hostes et osores ab eodem deprimendos ac prosternendos. Atque ita fiet, quod Dominus statim subdidit: *Et tunc plangent omnes tribus terræ.*

Secundo. Apparebit in corpore glorioso, supra solis fulgorem splendido; unde Isai. XXIV. dicitur: *Erubescet luna et confundetur sol, cum regnaverit Dominus exercituum.* Erubescunt autem sive ob stuporem tantæ majestatis, sive quod ipsorum lumen ob splendorem Christi quodammodo obscurabitur, sicut stellæ coram sole, adeoque suam pulchritudinem quasi exillem abscondent coram tanta majestate; de qua ipse Dominus Matth. XXIV. *Videbunt Filium hominis venientem cum virtute* (græce cum potestate) *multa et majestate.* Si enim justi in regno Dei fulgebunt sicut sol, Matth. XIII. multo magis ipse Dominus justorum, qui quoniam in passione sua obscuratus fuit, (quod significabat eclipsis solis) debet eo tempore recipere et ostendere mundo lumen gloriæ suæ: imo ad litteram sol vocatur in secundo adventu Malach. IV. *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ.* Non dicitur oriturus impiis, quia confusionem et mœrorem eis afferet et ipsorum scelera detegit; unde ipsi velut noctuæ et vesperationes ægre illum aspicient: quemadmodum enim sol Aquilarum oculos vegetat, nostros sauciat inspectus et tenebrat, ait S. Aug. I. 2. de morib. Manich. c. VIII. ita Christus in judicio justorum mentes vegetabit et exhilarabit, impiorum oculos animosque sauciabit. Ibi ergo improbi præ impatientia tanti luminis abscondent et deicient in terram capita sua, dicentque montibus: *Cadite super nos. et collibus operite nos*; justis contra mire gaudebunt ad conspectum hujus solis, quia patefaciet ipsorum justitiam et virtutes prius mundo incognitas.

Tertio. Veniet cum comitatu omnium angelorum, ut habetur Matth. XXV. *Cum venerit Filius hominis in majestate sua et omnes angeli ejus cum eo.* Admodum vero probabile est, venturos angelos in corporibus splendidis, ex aere sibi formati, ut videri ab impiis Christi majestas possit. Erit ergo totum hemisphærium usque ad supremas aeris regiones undique plenum angelis, et speciem referet immensi exercitus; quibus inferne adhærebunt electi juxta prophetiam Henoch in epist. Judæ: *Ecce veniet Dominus in sanctis millibus suis*, qui similes angelis apparebunt: quemadmodum fatentur impii Sap. V. *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei et inter sanctos sors illorum est! Et tunc stabunt isti, ut ibidem legimus, in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt:*

quos impii, *videntes, turbantur timore horribili et mirantur in subitatione insperate salutis*; concident enim animis, cum videbunt se imbelles, exosos, execrabiles, illos vero potentes, Deo familiares, splendorum. Deinde mirum in modum sibi timebunt ab iis, quos prius vexaverunt, habuerunt in derisum et dirissime persecuti sunt; quorum item Dominum ac dulcissimum parentem gravissime offenderunt. Quid enim si vilis quispiam homuncio principis interfecto, ense adhuc cruento deprehensus produceretur in conspectum filiorum illius? Quam sibi ab iis timeret! Quam hi in illum exardescerent!

Quarto. Veniet cinctus nubibus, ut patet ex evangelio. Probabile autem nubium illarum partes superiores fore lucidas, serenas et tranquillas; inferiores vero obscuras, procellosas, ignem et fulmina versus impios jaculantes ut indicatur Ps. XLIX. *Ignis in conspectu ejus exardescet: et in circuitu ejus tempestas valida*. Item II. Thess. I. et Isai. LXVI. Quare terribiles quidem malis erunt in terra constitutis, bonis vero jucundæ et protectionis symbolum; quemadmodum nubes illa Hebræorum, quæ illos ab Ægyptiis dividebat, Exod. XIV. Erat enim, ut exponit doctissimus Abulensis q. XIX in c. illud, tenebrosa versus castra Ægyptiorum: illuminans vero noctem versus castra Hebræorum.

Quinto. *Sedebit in sede majestatis suæ*, Matth. XXV. De qua sede scribit Joannes Apoc. XX. *Vidi thronum magnum candidum, et sedentem super eum, a cujus conspectu fugit terra et cælum, et locus non est inventus eis*. Quæres qua ratione? Primo, quia gloriæ Christi, quam thronus hic repræsentat, nihil infra Deum simile vel comparandum est, imo omnium sanctorum gloria nihil est ad gloriam Christi; et sicut lumen stellarum fugit a solis lumine, sic gloria sanctorum simul omnium a gloria Christi; secundo quia ad imperium hujus throni seu judicis innovabitur cælum et terra: tertio, quia tantus erit hujus throni et judicis rigor justitiæ, ut nec cælum, id est, electi sua intercessione; nec terra, id est, impii suis gemitibus, precibus, lacrymis, lamentis eum flectere ad misericordiam et ab æquo dimovere possint: quarto, quia non solum rei, sed etiam innocentes, angeli et homines beati (illi per cælum, hi per terram designati) sibi ab illo iudice quodammodo timebunt, veluti qui in littore stant cum vident mare intumescere, procellis agitari, et navigantibus naufragium minari, etiam formidare solent, licet securo loco sint.

II. *Exibunt Angeli et separabunt malos de medio justorum*. Matth. XIII. Matthæi vero XXV. ait Dominus: *Separabit eos iudex scilicet per*

angelos) *ab invicem sicut pastor segregat oves ab hædis*, sive id fiat in cæmeteriis et locis resurrectionis, sive in valle Josaphat, *et statuet quidem oves a dextris suis, hædos autem a sinistris*. Porro hæc separatio impiis pariet primo stuporem cum videbunt eos a se avelli ad gloriam, quos ipsi minime æstimabant, imo in mundo contempserant et damnarant, verbi gratia, publicanos et meretrices, de quibus dixit Dominus ad principes sacerdotum et seniores populi: *Amen dico vobis: quia publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei*, Matth. XXI. Hoc est quod Sapiens de damnatis dixit: *Mirabuntur in subitatione insperate salutis* (græce, in paradoxo salutis, electorum scilicet) *dicentes intra se: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum et in similitudinem improprietatis, etc. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei!*

Secundo. Livorem, cum videbunt eos, quos oderant, extolli, se vero deprimi et derelinqui, quod expressit David Psal. CXI cum ait: *Cornu ejus (justi) exaltabitur in gloria. Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet*. Exemplo est impius Aman, qui cum Mardocheo infensus esset, quod ab eo non adoraretur, postea ei a pedibus, ejusque strator fieri coactus, præ livore *Festinavit ire in Domum suam lugens et aperto capite*. Esth. VI. Simili modo impii invidia tabescent, cum subjiciuntur inimicis suis, adeoque avertent vultum et oculos suos ab illorum gloria quos oderant in vita.

Tertio. Pudorem, cum videbunt infimos et multoties subditos ac servos suos sibi tam longe præponi, illos in sublime rapi, se ad tartarum mergendos relinqui; adeoque fieri id, quod dudum vidit Sapiens Eccles. X. *Vidi sub sole positum stultum in dignitate sublimi, et divites sedere deorsum: vidi servos in equis, et principes ambulantes super terram quasi servos*. Videbunt plurimi reges se positos in scabellum Christi pedum, id est, loco abjectissimo; contra servos suos assidere Christo: videbunt multi doctores se in promiscuo vulgo premi et quaquaversum trudi, rudes vero plurimos supra se cum angelis in alto expatiari: videbunt plurimi divites se pedibus proculcari, pauperes vero in sublimi juxta Christum considerare. Vah! Quanta erit hæc illis ignominia. Implebitur tunc in illis, quod prædixit reprobis Deus, Deut. XXVIII. *Advena, qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritque sublimior: tu autem descendes et eris inferior*: (Hebr. *ascendet super te sursum*, id est, altissime: *tu vero descendes deorsum*, id est, profundissime) *ipse erit in capite, et tu eris in cauda*.

Quarto. Dolorem eumque acerrimum, cum videbunt tolli a se charissimos et propinquissi-

mos suos fratres, liberos, parentes, amicos, contubernales. Hoc est quod dicere voluit Dominus Matth. XXIV. cum ait: *Tunc duo erunt in agro, unus assumetur et unus relinquetur; duce molentes in mola, una assumetur et una relinquetur; duo in lecto uno, unus assumetur et unus relinquetur; quasi dicat, separabitur vicinus a vicino, servus a conservo, conjux a conjuge, etc.* O quam hæc tristis et amara erit separatio, cum quis illis, quos habuit conjunctissimos, fidelissimos, amicissimos, æternum valedicere debet? Testatur S. Basilius in oratione de morte, quæ habetur inter opera S. Ephrem, se vidisse aliquando bovem ad præsepe lacrymantem, cum ejus contubernalis morte sibi ereptus esset. Et quantus, existimatis, erit planctus inter impios, cum videbunt a se tolli et in æternum tolli lumina oculorum suorum? Illa in cælo beanda, se vero in orcum abripiendos? Quare, o filii mei, fratres mei, si vere vos invicem amatis, totis viribus provideate, ut ne in die illa ab invicem dividamini. Adhortamini vos invicem, arguite, obsecrate, increpate, opportune, importune, in omni patientia et doctrina, ut vos invicem servetis, simulque rapiamini Christo in aere.

Quinto. Timorem, quid enim non malorum timere sibi possunt impii, cum ab iis separabuntur boni? Quid enim evenit reprobis, cum illis derelictis ingressus est in arcam Noe? Quid evenit Sodomitis, cum ab eis discessit justus Loth? Quid evenit Core, Dathan, et Abiron, cum ab eis recesserunt innocui? Quid evenit impiæ Drahomiræ, postquam fidelis et pius auriga ejus curram deseruit? Nonne primi suffocati sunt? Sodomitæ celesti mox igne absorpti? Core, Dathan et Abiron, uti et Drahomira terra absorpti? Et quid aliud expectare impii illi possunt, postquam a justis separati sunt, nisi præsentissimum terræ hiatum ad eos deglutiendos?

III. Congregabuntur ante judicem ad tribunal ejus omnes gentes, veluti greges intra septa vel caulas, tam quæ in cælis erant, quam quæ in terra et inferno, juxta id Psal. XLIX. *Advocabit cælum desursum, et terram discernere populum suum*, id est, convocabit ad tribunal suum tam sanctos, qui in cælo sunt, quam reprobos, qui in terra et inferno sunt; adeoque ipsos etiam dæmones, quasi ad unum mundi theatrum.

Itaque primo, nemo ibi mortalium et dæmonum desiderabitur, nemo effugere, nemo latere poterit. Hinc Apocal. c. XIV. visus est Joanni Christus, seu angelus Christum judicem repræsentans, sedens super nubem, et habens in manu sua falcem, quæ scilicet mortales omnes demetat, quomodo segetes omnes falce demetantur, ut ne unus quidem culmus evadat.

« Potestas enim divini judicii, inquit S. Gregorius I. XXXIII. moral. c. XXIV. quia undique stringit, circulus dicitur; et quia intra se omnia incidendo amplectitur, falcis appellatione signatur, in falce enim, quidquid inciditur, quaquaversum flectitur, intus cadit. Et quia potestas superni judicii nullatenus evitatur (intra ipsum quippe sumus, quolibet fugere conemur) recte cum venturus iudex ostenditur falcem tenere perhibetur. » Ubi etiam in hunc sensum explicat id Psal. LXXIV. *Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus*: (scilicet patet fuga) *quoniam Deus iudex est*. Quantus hic erit conventus omnium omnino populorum, nationum, sæculorum? Quantus ibi clamor? Quantus tumultus? Quanta compressio? Unde Soph. I. vocatur dies judicii (allegorice saltem) *Dies clamoris, secundum Septuag. dies tumultus, et commotionis*, secundum chald.

Secundo. Stabunt impii inter se confusi, nullo ordine, nullo respectu priorum dignitatum, scientiæ, nobilitatis, opum, etc. Audi Hieronymum ad Heliodorum: « Judicatur, inquit, Domino lugubre mundus immuetur, et tribus ad tribus pectora ferient; potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt; adducetur cum suis stultus Plato discipulis, etc. » Nimirum ut latrunculi, qui prius in ludo diversas obtinebant dignitates, regis, reginæ, saltatoris, cursoris, etc. postea in sacculum congesti, omnes sibi similes et exactorati jacent; ita in valle Josaphat conglomerati inter se impii mutuo se compriment, nullo ordine vel respectu. Aderunt etiam inter eos dæmones terribili forma furentes in eos, teste S. Basilio in Psal. XXXIII. cum ait: « Adducendi etiam nos sumus, singuli eorum, quæ in vita gessimus, rationem reddituri. Mox illis qui multa mala in vita perpetrarunt terribiles quidam et deformes assistent angeli, igneos vultus præ se ferentes atque ignem spirantes, noctique vultu similes propter mœrorem et odium in humanum genus. »

Tertio. Omnes adorabunt Christum Judicem, tremantque et flectent coram eo genua sua; justi quidem ultro et cum gaudio; impii vero coacte et inviti. Testatur id Apostolus ad Rom. XIV. *Omnes stabimus, inquit, ante tribunal Christi; scriptum enim est: Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu*. Et ad Philip. II. *In nomine Jesu flectatur omne genu, caelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris*. Non erit ibi opus licitoribus, qui virgarum ictibus cogant impios flectere: ipse fulgor et terror judicis eos prosterneat.

Quarto. Habebunt omnes quasi collo appen-

tas tabellas gestorum suorum, iudici mox præsentandas, eorum mercedem præstolantes, iusti cum desiderio summo, improbi cum ingenti timore velut pecora alligata ad macellum; cupient enim latere et faciem a iudice avertere, sed non poterunt. Unde cum sarcasmo illudit eos Isaias c. II. dicens: *Ingredere in petram et abscondere in fossa humo a facie timoris Domini, et a gloria majestatis ejus*; quasi dicat conaberis fugere, sed non poteris.

Quinto. Stabunt singuli in loco suo, iudicii processum præstolantes; electi quidem ad dexteram Christi in sublimi aere cum jucunditate et desiderio veluti, qui prius infimo loco positi jamjam audient: *Anice, ascende superius*; velut sponsa adornata, sponso jamjam adducenda; velut prudentes virgines ad cœlestes nuptias jamjam ingressuræ. Reprobi vero inferne in terra ad sinistram humi prostrati, gementes, ululantes, vociferantes, sibimet irascentes, velut oves non habentes pastorem, de quibus dictum est Psal. XLVIII. *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos*. Quis animus, quæ mens, quis sensus tunc illis erit? « A dextris, inquit S. Ansel. I. de similit. erunt peccata accusantia, a sinistris infinita demonia, subtus horrendum chaos inferni, dessu per iudex iratus, foris mundus ardens, intus conscientia urens. Heu miser peccator! Sic deprehensus quo fugies? Latere enim impossibile erit, apparere intolerabile. » Sic Ansel. Superest nunc, auditores, ut dispiciat unusquisque quem in eo conventu locum ipse habiturus sit, quemque habere cupiat. Sane in vestro nunc arbitrio est eligere vobis, quem vultis locum. Bonum ergo et securum desideratis locum? Bonam vitam eligite. Audite S. Bern. epist. ult. hanc sanctæ vitæ regulam præfigentem: « Talis studeas vivere, qualis affectas in extremo iudicio inveniri. »

CONCIO IV.

CUR IN MUNDO PAUPERES.

I. Ad humani generis conservationem. — II. Ad Dei gloriam. — III. Ad remedium divitum. — IV. Ad instructionem nostram. — V. Ad bonum ipsorum.

THEMA.

Pauperes evangelizantur. Matth. XI.

Forsitan, auditores, cogitabunt aliqui pauperes: quid nobis evangelizatur in hodierno Evangelio? An fortasse Christus pauperiem a nobis tollet, et opes ministrabit? Hoc sane Evangelium, id est, bonum nuntium foret, nobisque optatissimum. Et quidem plebs Hebræa expectabat olim, et expectat hodieque ejusmodi Messiam, qui dives et gloriosus cum majestate veniat, gentem suam ditet, et terræ

bonis cumulet: sed non est hoc Evangelium quod mundo Christus attulit, non est nuntium istud, a Prophetis olim prædictum, quod terræ et fluxa bona pauperibus promittat, sed illud: *Beati pauperes quia vestrum est regnum Dei*. Luc. VI. Non perituras opes, sed stabiles et solidas annuntiat vobis Christus, o felices pauperes? Sed enim nihilominus quærent forsitan aliqui: nonne melius fuisset, si Christus paupertatem a nobis abstulisset, et omnino e mundo sustulisset? Respondeo negando; causas nunc audiemus.

I. Pauperes in mundo sunt, propter humani generis conservationem: nisi enim pauperes sint, duo gravissima mala sequentur, scilicet omnium artium ac rerum pulchrarum, totiusque splendoris, qui in rebus humanis cernitur, interitus, et morum extrema corruptela ac turpitudine. Nemo amplius artes mechanicas aut discere volet, aut exercere; nemo laboriosa opera subire, nemo alteri servire. Nullæ amplius fient pulchræ vestes, nullæ splendida domus, nulla magnifica templa, nulla oppida, nullæ arces, nulla ingeniosa opera; siquidem paupertas excitat artes. Nulli erunt viri nobiles et potentes, utpote famulis et militibus destituti; graduum et ordinum, qui sunt in rebus publicis, discrimen ruet ac proinde reverentia et obedientia. Tandem brevi omnes perire oportebit, quia conquiescet agricultura, navigatio, mercimonium, aurigatio, et quidquid ad humanam sustentationem pertinet.

Sequitur deinde morum ingens corruptela: nemo non in comessiones et libidines se effundet, ubi enim otium et rerum abundantia est, ibi necesse est vitia nasci. Argumento nobis sunt homines illi diluvio absorpti, quos otium et luxus perdidit, quemadmodum et Sodomitas. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ*, ait Ezechiel c. XVI, *superbia, saturitas panis et abundantia, et otium ipsius, et filiarum ejus, et manum egeno et pauperi non porrigebant*: ideoque cœlesti igne depasti sunt. Item gentes quædam barbaræ apud Brasilios, quæ cum paucis rebus ob cœli clementiam indigeant et annona abundant, ventri prorsus et abdomini serviunt, omnibus vitiis inquinatissimæ. Quod et in illis Germaniæ partibus, ubi vini et frumenti, omnisque generis victualium copia cernere est, veluti ad Rhenum, cujus regionem ob eam causam fugit S. Wunibaldus, ut in vita S. Wilibaldi c. XXV. scribitur apud Grets.

II. Propter gloriam Dei, ut manifesta fiat divina providentia, quæ pauperem facit et ditat, infinitos etiam pauperes mirabiliter alit. Magna est principis gloria, alere plurimam pauperum multitudinem; et Salomonis sapientia eluxit in alenda tanta familia, opera præfecto

rum annonæ, qui ordinatissime eam afferebant: multo magis splendet Dei providentia, cum infinitos pauperes alit tam miris rationibus per divitum largitiones, qui tamen ut plurimum avari sunt. Habet enim sua media Deus, quibus divites avaros deplumet et pauperibus in prædam det; verbi gratia, eorum incendit aedes, vastat prædia, corrumpit in horreis frumentum, cum permortem plumas illis extrahit et pauperibus donat; sicut cum quis in foro nimium caro vendit cerasa vel pira, solet ea magistratus in pœnam avaritiæ venditoris evertere, et pueris pauperibus diripienda dare. Figuratum hoc in corvis, quibus præcepit Deus ut pasceret Eliam, III. Reg. XVII. qui cum sint furacissimi et carniū etiam putridarum avidissimi, carnes servo Dei afferre debuerunt iisque abstinerere; ita omnino per avaros et rapaces divites novit Deus miro modo pascere suos pauperes. Quod si igitur pauperi minus vel nihil dedit, diviti tanto plura dedit, ut haberet quæ pauperi dispensaret: neque culpa Dei est, si egeat, et pereat pauper, sed divitum. Sicut non est culpa cauponis, si duo in eodem spatioso lecto jacentes non ambo calefiant; sed culpa alterius socii, qui operculum totum ad se trahit. Si pauperi non dedit, dedit dispensatori, ab illo requirat annonam suam pauper: si is deneget, Deo injuriam infert et pauperi. Si computes pallia hominum, quæ sunt in mundo superflua, et pauperes, qui nullum habent, non invenies pauciora pallia, quam pauperes, cum plurimi duo vel tria et plura habeant. Culpa igitur abundantium est, si non dant pauperi ea, quibus ipsi abundant. Ad hæc si pauperes census et lucrum suum computent comparentque cum expensis vel capitibus quæ sustentant, mirabuntur quomodo alantur. Mira æquitate satiavit Deus per manna Hebræos in deserto, *Qui multum (collegit) non abundavit, et qui modicum, non minoravit*, ait Apostolus II. Corinth. VIII. ita « Cum omnes unum ventrem, ait sanctus Chrysostomus in eum locum, impleamus, et uno tempore vivamus, et unum corpus tegamus, nihil magis habet dives ex abundantia: neque ex paupertate minus habet pauper, sed uterque victum habet et amictum. » Accedit, quod hoc pacto Deus divitem sicut et pauperem sibi devincit, et quodammodo lucratur, illum per eleemosynam, hunc per patientiam et gratiarum actionem. Sic Joseph dispensando frumentum domini sui, aluit subditos ejus, emitque eos domino suo, fame perurgente. Genes. XLVII.

III. Propter remedium divitum; ut quoniam ipsi dum tractant divitiarum spinas, facile et undique vulnerantur, possint sibi per illos cito et ubique mederi. Unde S. Chrys. hom. XIV.

I.

in I. epist. ad Timoth. ait: « Nisi essent pauperes, peccatorum difficile sarcinam poneret: medici illi sunt vulnerum tuorum, manus eorum tibi medicamenta præstant. Non ita medicus ut medicamenta imponat, extendens manum, curationem exhibet, sicut pauper abs te ut accipiat, porrigens manum. Et quid mirum, (ait idem hom. XXX in I. Cor.) citra dolorem, citra suspirium pulcherrimam confert medicinam? » Sumitur hæc doctrina ex verbis Christi Luc. XI. ubi cum dixisset Pharisæis: *Quod intus est vestrum, plenum est rapina et iniquitate*, subjunxit: *Veruntamen quod superest, date eleemosynam; et ecce omnia munda sunt vobis*; quia nimirum eleemosyna disponit ad pœnitentiam et gratiam. Ut ergo passim constituti sunt certi medici pro certis hospitalibus vel communitatibus, ita pauperes pro divitibus; et sicut voluit Deus, ut dives non deesset pauperi, cum dixit Deut. XV. *Omnino indigens et mendicus non erit inter vos*: id est, non patiamini, ut egeant aliqui inter vos; sic voluit ut pauperes non deessent divitibus, tamquam medici ægris (ut eodem cap.) *Non deerunt pauperes in terra habitationis tue*. Dives et pauper sibi mutuo necessarii sunt, sicut cæcus et claudus in silva constituti; ille gestet claudum, claudus cæco viam monstret, si emergere velint. Cæcus est dives, quia curis terrenis occupatus ad cælum non attendit, nec suas agnoscit rapinas, aliaque animæ vulnera: claudus pauper, quia eget ope divitis, quasi scipione. Quare ut ex mundi labyrintho ambo se expediant, dives sublevet inopem suis eleemosynis; pauper divitem precibus suis dirigat ad cælum. Vidit hoc Apostolus, qui II. Cor. VIII. ait divitibus: *In præsentem tempore vestra abundantia, illorum (pauperum scilicet) inopiam suppleat, ut et illorum abundantia vestra inopie sit supplementum, ut fiat æqualitas*. Ergo divites præstant pauperibus eleemosynam corporalem, pauperes divitibus spiritualem, dum oratione et meritis suis eos juvant et occasionem promerendi cælum offerunt, sicque in æterna tabernacula recipiantur. Et cur, putatis, posuit Deus Lazarum mendicum ante fores divitis, nisi ut dives ille hac præsentissima veluti theriaca mederi sibi posset, si vellet, ælendo esurientem? Bonum igitur factum est, quando pauper et dives mutuo sibi obviant, juxta id Prov. XXII. *Dives et pauper obviaverunt sibi*. Et bene dixit alius quidam: *Sicut dotium omnino plenum et aliud omnino vacuum optime consonant in diapason, sic dives benignus et pauper egens*.

IV. Propter instructionem nostram. Ita enim S. Gregorius Nazianz. orat. XVI. de pauperum amore, ait: « Deus vult quosdam esse pauperes, ut nos infirmitatis nostræ submoneant. » Ac propte-

5